

2

DISSERTATIONIS
HISTORICO-LITTERARIO-CRITICÆ,
DE
CAUSSIS
FLORESCENTIS & MARCESCENTIS
REIPUBLICÆ LITTERARIÆ,

PARS SECUNDA,

QUAM,

*Consensu Incltyi Philosophorum Ordinis Regie ad
Auram Academicæ,*

Publicæ bonorum censuræ subjiciunt

ABRAHAMUS NICOLAUS
CLEWBERG,

Phil. Mag.

ET

LAURENTIUS ABRAHAMUS HOFFREN,

Wiburgensis.

Die XII. Decembris Anni MDCCLXXII,

Tempore a. m. solito.

A B O Æ

Typis JOHANNIS CHRISTOPHORI FRENCKELL.

KONGL. MAJ:TS

Tro-Tjenare och Major vid Karelska Dragone-Esquadron

Samt

Riddare af Kongl. Svärds-Orden,

VÄLBORNE

HERR CARL HENRIC
FURUMARK,

HÖGGUNSTIGE GYNNARE!

Dén ynnest, hvarmed Herr Majoren och Riddaren behagat omfatta mig, är så stor, at den af min oöfvade talemått ej värdigt nog kan uttryckas. Ty alt ifrån den stund, Herr Majoren anförtrorde mig Sin kära och välartade Herr Sons handledande, har jag ständigt blifvit öfverhopad med välgjeringar, hvilka gjöra min förbindelse så mycket större, som de tästa med den ömhet, föräldrar pläga hyfa för egna barns välfärd. Ach! huru glad vore jag icke, om jag vid detta tillfället, häلت nägorlunda kunde betyga min tacksamhet häremot? men jag måste beklaga, at min oförmögenhet nästan aldeles sviker en så billig önskan. Tillat dock, Höggunstige Gynnare, at et hjerta, som lägar af lifligaste erkänsla, i brieft af verkkelig vedergällning, får visa sin nit med des upriktiga önskan! Ett tacksammt sinne skall beständigt värda Eder ertedda godhet, och ett erkännsamt hjerta skall til mitt lefnads slut förvara åtankan af Edra välgjeringar. Så länge jag lefver, skall jag ej underlåta, at med ifriga böner anropa Den Högsta, at han såsom dygdens rätta belönare behagar tildela Herr Majoren och Des förnäma hus all upmärkselig sällhet och välmågo! Jag framhårdar med djup vördnad

Välborne Herr Majorens och Riddarens

Ödmjukaste tjenare

LARS ABR. HOFFREN.

VIRIS admodum Reverendis atque Præclarissimis,
D:no Mag. HENRICO POPPIO,

*Ecclesiæ, quæ DEO in Joccas colligitur, Pastori longe meriti-
tissimo, nec non adjacentium Ecclesiarum Præposito dignissimo,*

D:no LAURENTIO POPPIO,

Pastori Legionis Pedestris Savolaxiensis vigilantissimo,

Avunculis Indulgentissimis!

Summa nunc persundor letitia, quod mihi, diu gravissimis pau-
pertatis molestiis presso, tandem illuxit dies ille exoptatissi-
mus, quo gratissimum ob innumera beneficia animum, pu-
blice testatum faciendi, mihi datur occasio. Fateor autem, id
me non mediocriter officere, quod eo, quo vellem, verborum ponde-
re pietatem, qua meum exæstuat pectus promere non possim. Ego
namque, Avunculi Indulgentissimi! cum vix puer sexennis patre
orbatus essem, ab illo inde tempore tot tantaque expertus sum fa-
voris Vestri documenta, ut quemadmodum illis vel enumerandis
impar sum, ita etjam eadem debitis laudibus extollere si conten-
dam, conatum meum plane irritum futurum, omnino videam. Ne
vero officii penitus neglecti arguar, pagellas hæcæ, alieno licet ca-
lamo elaboratas, Vobis offero, non ut remunerationem, sed ut gra-
tissimi tantum animi pignus exhibeant. Quas ut læta accipiatis
fronte, meque, ut hactenus soliti estis, ita etjam in posterum tu-
tele Vestræ commendatum habeatis humillime oro atque obtestor.
Meum erit dum spiro, ardentissimis Supremum Numen venerari
precibus, velit Vos quam diutissime, in Ecclesiæ Sææ emolument-
um, Vestrorumque, quotquot sumus, gaudium certissimum, floren-
tissimos servare. Hoc est, quod ex intimis animi penetralibus vo-
vet, vovebitque

Carissimorum Nominum Vestrorum

Cultor humillimus

LAUR. ABR. HOFFREN.

VIRIS Admodum Reverendis atque Præclarissimis
D: no Mag. GUSTAVO FRIDERICO
AURENIO,

*Animarum, quæ DEO in Leppåvirta colliguntur,
Pastori meritissimo,*

D: no Mag. JOHANNI LAGO,

Pastori Idenfalmiensium meritissimo,

D: no Mag. GABRIELI KROGIO,

Con-Rectori Scholæ Triy. Randafalmiensis laudatissimo,

*Olim Præceptoribus suis fidelissimis, nunc Fautoribus pia
mente colendis,*

*Ob favorem singularem & innumera in se collata benefi-
cia, munus hocce chartaceum, in tesseram gratissimi
animi, cum omnigenæ felicitatis voto perofficiose offert*

Admodum Reverend. atque Præclariss.
Nom. Vestrorum

Cultor humillimus

LAUR. ABR. HOFFREN.



§. VIII.

Uterius ad florem Reipublicæ Litterariæ vehementer pertinere observat, ut ipsarum quoque rerum, quæ cognoscuntur, legitimus habeatur delectus; ne, loco utilis & salutaris, vana & noxia adquiratur eruditio.

Solidam & nervosam requiri eruditionem, si status *Reipublicæ Litterariæ* ex voto florebit, res ipsa docet, & nos quoque in antecedentibus passim inculcavimus. Hoc vero genus cognitionis non ex meris verbis, aut cassis vocabulorum sonis æstimandum, sed ex ipso rerum fundo hauriendum esse, proximis quoque paragraphis, quantum satis visum fuit, ostendimus. (a) Nunc igitur ratio boni ordinis postulat, ut illud ipsum eruditionis genus, quod *reale* vocavimus, paulo penitius nobis excutiendum sumamus, quid discriminis illud quoque admittat, visuri. Quemadmodum enim non omne id aurum est, quod speciem præfert auri, ita nec omnis ea *cognitio realis* dicenda, quæ ex *rebus* videtur exsculpta. Quidquid enim aut docetur, aut discitur, id tum demum verè *realem* producit *Eruditionem*, cum illæ ipsæ rerum proprietates, quæ cognoscuntur, *verum habent usum*, vel publicam vel privatam hominum felicitatem aut uberiores aut certiores reddentes. (b) Tantum vero abest, ut hoc vere dici possit de omnibus, quæ tum publicis tum privatis in Scholis inculcantur, ut potius in utrisque disci soleant plurima, quæ, cum ad verum *discendi scopum* referuntur, *usum* plane nullum præstare deprehenduntur. In hunc numerum referri merentur omnia, quæ nec *ingenii aciem* ad verum videndum acriorem, nec *animi indolem* ad bonum quærendum alacriorem efficiunt. (c) Quid? quod aliæ atque aliæ disciplinæ, quamvis magno labore adquirantur, ita tamen inveniantur comparatæ, ut idem fere & *ingenio* & *animo*, ipsisque adeo *moribus* sint, quod *venenum* corpori & sanitati

est. Atque hunc in censum non eæ solum, nostro quidem iudicio, venire debent, quæ famosæ haberi solent, qualia sunt omnia *divinationum* genera (d) & quæcunque præterea aut *vana*, aut *noxie* reperiuntur *artes*, (e) sed variæ insuper *lacinia*, quas doctorum vesania ipsis etjam saluberrimis & utilissimis disciplinarum generibus adfuit. (f) Quod si igitur flori *Reipublicæ Litterariæ*, qua decet sapientia ac diligentia, consultum ire velimus; non id tantum agendum, ut omnia inutilia prudenter præcidantur, sed eo adhuc elaborandum, ut, quoad ejus fieri potest, illæ quoque ipsæ, quæ vere *utiles* sunt, eo diligentius colantur, quo aut *uberior*, aut *nobilior* fuerit *symbola*, quam quæque ad eos vel *adgnoscos* vel *adsequendos* conferat *fines*, propter quos DEUS Optimus Maximus genus nostrum, his non aliis instructum facultatibus, in his non aliis rerum circumstantiis collocatum voluit. (g) Atque hæc *regula* est *generalis*, ad quam omnis tum *utilitas* tum *inutilitas* eorum, quæ cognoscimus, exigi debet. Ut eam quisque & verissime explicat & rectissime applicat, ita & realissima & utilissima est cognitio, quam suis sibi vigiliis acquirit, & ita quoque dignissimus haberi debet, quem alii vere jucundo viri docti nomine ornent.

(a) P. I. §. VI. & VII.

(b) Hunc lapidem lydiæ suo jam tempore scientiis probandis adhibuit SOCRATES, qui, cum veterem philosophandi rationem exacto iudicio expendisset, in eaque multa deprehendisset inania, frivola, ridicula, nihil viro docto dignum tandem iudicavit, nisi quod ad felicitatem hominum promovendam faceret. Vid *Celeberr.* JAC. BRUCKERI *Institut. Hist. Philos.* p. 141. Ex recentioribus idem sensit ingenii felicitate, quam fortunæ benignitate illustrior Comes OXENSTJERNA, qui de utilitate scientiarum inter alia hoc scriptum reliquit: *Toute science, qui n'est d'aucune utilité, est une écume des sciences, & inventée sans doute par quelque fainéant, puis-que elle ne sert que pour l'amusement des femmes, des enfans & des innocens. Une science inutile est semblable aux toiles d'araignées, qui quoique faites avec beaucoup de soin & d'artificer, ne laissent pourtant pas d'être méprisables par leur inutilité. Je me souviens à ce sujet d'avoir lu, qu'un homme s'étant un jour présenté au grand Alexandre, pour lui montrer l'adresse qu'il avoit à jeter de petits pois en l'air & les recevoir sur la pointe d'une épingle. Ce curiosus maximus in minimis & minimus in maximis, erat par là faire fortune auprès de ce généreux Prince & obtenir quelque grande*

de récompense. Mais Alexandre qui n'aimoit point la bagatelle, lui fit donner un tomeau de petits pois, de peur qu'une si grande habileté ne vint à se perdre faute d'exercice. Vide Ejus *Pensées* T. I. p. 241.

(c) Quid Philosopho dignum quid indignum sit, recte docet DES COUSTURES, qui scripsit: *Un Philosophe ne doit point selon Senèque s'écudier à l'invention des mots, il faut qu'il enseigne à redresser les mœurs & qu'il écrive pour l'esprit sans s'amuser à flatter les oreilles.* Vid. *La Morale D'ÉPICURE* p. 69. Hoc tamen non excludit amœnum & jucundum scribendi genus, quod ubi modum tenet, nec quicquam affectatum habet, dici vix potest, quantum ad finem, quem laudavimus, conducatur.

(d) *La Chiromancie, la Phisionomie, l'Asrologie judiciaire me paroissent plutôt des jeux d'esprit, que des sciences solides & sur lesquelles on puisse faire fond.* Verba sunt nuper laudati Comitum OXENSTJERNA p. 105. Idem judicandum de Metoposcopia, Onirocritica, Ochthyconichthyomantia, Theomantia, Gastromantia, Necromantia, Logarithmantia, Chrystallomantia, & aliis id genus artibus, quarum longum foret perfectum texere catalogum.

(e) Quoniam ii sumus, quorum verba parum ponderis forte videbuntur habere, nisi aliorum doctiorum judicio firmari possint, venia lectorum, hic paulo prolixiorum discursum Celeberr. D. G. MORHOFII adducere liceat, qui, neque enim, inquit, ferenda est illorum improbitas, dicam an insania, qui ad rerum occultarum scientiam obtinendam

Flectere si nequeant superos, Acheronta movebunt

Et quasvis artes, quæ vel a profana superstitionum hominum industria excogitata, vel longa a malis genis propagine derivatae sunt, in subsidium adhibebunt. Quantum hic nonnullorum labor est, qui cælum terræ, summa inanis, sacra profanis, divinae daemonicis miscent, ut aliquam rerum sibi negatarum notitiam alienandæ extricent. Sunt, qui ex astris de suis & aliorum satis ratiocinantur, qui ab eorum configuratione spes metusque suos suspendunt, & velut ex specula quadam omnium rerum vicissitudines se prævidere posse arbitrantur. A cælo ad elementa procedunt, ostium per omnes naturæ tribus arcana sua rimantur. Jam ignem, lucem, æra sollicitant, plus quam lyncea perspicacitate illa deprehensuri, & vel fumos ipsos, nebulas in pariete pictas in speculationum suarum consilium adhibent. Alii ab aquis fluctuantibus sibi certi quid pollicentur: terræ pulvere, per puncta impressa, rerum eventus designant. Omnes animalium classes hæc divinandi licentia pervagatur, ut & in viscera eorum saviat, nec manes quietos patiatur. Nam vel aves, vel secretorum divinarum conscias vates illi explorant, vel in sordidis animalium extis arcana sua legunt, vel denique a mortuis ac pridem defunctis oracula expectant. Caterarum, quæ ex omni propemodum re & instrumento capiuntur divinationum genera, & fere infinita sunt, quis recenscat? E numeris, litteris, nominibus, sordibus, pelvi, cribro, cera, plantis, fructibus, ex sexcentis aliis aliquid curiosi isti excerpere sibi videntur, quo istam sciendi, ut ita dicam, ingluviem & orexin, quasi furfuribus & carduis pascant, numquam ita saturan-

turandi, quā nova his *Psalmi* excitetur. Vid. D. G. MORHOFII *Orationes & programmata* p. 981.

(f) Harum plures meminit Cel. NAUDÆUS, sigillatim ea persequens, quæ nos generatim tantum monuimus. Verba ejus digna videntur, quæ hic descripta adponantur. Sic vero ille: *Mirari satis non valeo, naturæ vim ordinemque ita prorsus se habere, ut omnibus in rebus aliquid excreseat sordidum & lutulentum, quod tolli recidique conveniat. Quod cum in cæteris rebus verum, in scientiis sane & artibus verissimum apprehenditur, quarum nulla ferme est, quæ postquam homines circa ea, quæ in se utilia ac essentialia sunt, aliquamdiu occupatos detinuit, eosdem in ea, quæ mere superflua sunt, ac inepta & ridicula, non præcipitet. - - - Atque inde est quod scientias vix unquam sinceras & certis limitibus definitas habere possimus, cum Grammatica, ut ab illa primum incipiam, non solum quæstiones frivolas se-cum annexas habeat, sed Onomantiam insuper, Alethromantiam & Dactylo-mantiam, quæ divinationes sunt ex fortuito litterarum ac nominum concursu excogitata; Rhetorica non modo præsidium querat in Arist. Quintilianii vel Ciceronis præceptionibus, sed in subsidium advocet artis Notoriæ orationes, rotas Lullii, Theatrum Julii Camilli, Typocosmiam, Syntaxes Gregorii, Encyclopæ-dicæ regulas, & si quid est aliud ejusmodi vanissimum; Dialectica libenter se exerceat in summulistarum ampliacione, restrictione, obligatione, suppositione & gerris similibus ac sophismatis; Musica denique suos concentus & modulos ad cælestis cujusdam harmoniæ imitationem componat; ut, reliquis artibus præ-terminis, ad scientias majores ac veluti reliquiarum matrices deveniam, inter quas cum Physica, Medicina, nec non etiam Theologia præstantissimæ semper habitæ sint, sic quasdam appendices post se trahunt, quæ licet primo adpectu non indignæ videantur studio & investigatione sapientum, dum Astrologia conatur quidam superiorum in inferiora influxum & dominatum recludere; Magia vero naturalem Philosophiam a veritate speculationum ad magnitudinem operum revocare contendit; atque etiam Chymia in se suscipit corpora ipsa inquinata depurare, impedita liberare, immatura perficere, quibus denuum adjuncta Cabbala totius divinæ scripturæ mysteria recludere ac palam exhibere conspicienda profitetur; ipsæ tamen tales in se & in interiori sua ratione esse apprehenduntur, ut plus habeant ex phantasia & fide, quam ex ratione & demonstratione: quare consentaneum est etiam, arbitrari vias, quæ ad ea-rundem fines deducunt plenissimas esse erroris & nugarum, nosque tandem per varios ac labyrinthicos plexus ad judicariam, Magiam superstitiosam & Alchymiam deducere, quas omnes cum enumeratis supra caterarum artium velut sordibus & excrementis ad pannuceas Baucides & Planos, Agyptas, A-rusticeres, Scurras, Fumivendulos, Nebulonesque circumforaneos, quibus velut hano lucrum existenter & infami ac propudiosæ vitæ suæ consulant, ablegandas esse censeo: Simulque monitos velim ingenuæ fortis adolescentes, ne se talibus unquam nugis irretiri patiantur, si bonæ mentis opinionem ac sapientiæ adipisci studeant aut adeptam semel retinere. Vid. GROTII alio-rumque Dissert. de Stud. Instituentis p. 134. seqq.*

(g) Cum

(g) *Cum alia sit aliorum conditio, non quid unumquemque deceat, sed quid quisque possit, id initio animadvertendum est.* Verba sunt Cel. JOH. CASELII in epistola de Studio liberalis doctrinae. Vid. GROTTII & aliorum Dissert. de studiis insit. p. 623. Quod vero ille de singulis, id nos de universis adferimus, cum multa sint, quæ captui superent omnium, ob eamque causam eodem gradu inutilem, quo impossibilem habeant investigationem; Nam, quæ vere sunt utilia, ea profundius in puteo demersa non jacent, quam ut ingenio & studio erui extrahique possint.

§. IX.

Canonem illum generalem dignoscendi utilitatem scientiæ humanæ, qui §. præcedenti traditus est, opinione difficiliorem adplicationem habere, paucis ostendit.

Quamvis vero neque obscura, neque incerta sit regula generalis, ad quam omnem tum *realitatem* tum *utilitatem* scientiæ humanæ exigendam esse §. præcedenti monuimus; vitio tamen doctorum opinione sæpius accidit, ut ea valde difficilem habeat adplicationem, nemine fateri volente, vacua utilitatis esse, quæ suus sibi Orbilius tot olim vel minis vel plagis inculcaverit, quæque ipse tot deinceps vigiliis atque ærumnis augere sategerit. Sive enim *Historiam Litterariam*, sive *quotidianam experientiam* consulere velimus, hanc maculam in nomine doctorum inveterasse inveniemus, ut quo *sterilior* vitæque *inutilior* fuerit eruditio eorum, eo sibi firmius persuadeant, nihil se unquam didicisse, nisi quod aptum natum sit, ex quo tum *nominis Divini glorificatio*, tum *generis humani perfectio* efflorescat. Oppido certe exiguus est numerus doctorum hominum, qui ea vel ingenii dexteritate, vel animi sinceritate emineat, ut vel perspicere possit vel agnoscere velit, quam pauca didicerit *utilia*, si cum maximo *inutilium acervo*, quem diurno atque nocturno congestis labore, quo decet studio conferantur. Nec hoc magnopere mirabitur, qui præter *generalem naturæ nostræ corruptionem*, de qua supra egimus, *specialem cognoverit depravationem*, quam *perversa introducit instituendi ratio*, quæ eruditum genus hominum, ut vocari amant, adhuc *profundius corrumpit* (a). Quod si e-

nim *methodum* examinaveris *doctorum*, qui vel publicas, vel privatas instituunt scholas, ea plerumque imprudentia laborare eos invenies, ut *omnia promiscue* teneris inculcent animis, nulla fere habita ratione *utilitatis* (b). Modo igitur tirones avide arripiant quæ proponuntur, sive *utilia*, sive *inutilia* fuerint, immodicis ornantur laudibus, (c) & si qui præ cæteris insignem discendi aviditatem ostenderit, eos publicis etiam præmiis ornandos curant. Ea igitur, propter quæ elogiis & encomiis, fertis atque corollis mactatus sis, in numerum inutilium referre, hoc opus hic labor est; præsertim ubi totum instituendi negotium non ad *judicium acuendum*, sed ad *memoriam faciendum* comparatum fuit. Nec paucis dici potest, quantum ad corrumpendos tironum animos conferant *prava doctorum exempla*, (d) quibus eo sæpe insolentiæ deducuntur, ut quæcunque semel didicerint, ea nunquam dediscere velint, (e) quantumvis eo labores, ut vitæ ea *inutilia* esse, demonstrates. Ubi enim *argumenta* desunt, quibus suas defendant hypotheses & opiniones, ad *scœmmata* progrediuntur, totis convitiis plaustris innocentem sæpe monitorem onerantes. (f) Illud vero omnium maxime dolendum, quod quamvis sic se gerendo tum *veritati*, tum *virtuti* manifesta infligant vulnera, nihilo tamen minus se *utriusque* videri volunt *vindices*. Quod ubi sentiunt discipuli, animo quam iudicio fortiores, eandem *pugnandi rationem* temere adoptant, *utilitatem* scientiæ non idoneis *argumentis*, sed ineptis Magistrorum *exemplis* metientes. Quem vero florem Reipublicæ adferant Litterariæ, qui hac via ad *gloriam Divinam* illustrandam & *commodum humanum* amplificandum grassantur, nemine etiam monente, intelligitur.

(a) Hic monentem audiamus optimum doctissimumque VOCKERODTIUM. Nisi, inquit ille, corruptissima disciplina recta ratio obstitit & admittantur doctores religiosiores, prorsus qui ex Scholis istis prodeunt, in vestris sacris sunt histriones, in curiis moriones, in circulis ludiones & ardeliones vanissimi; in omni denique vita sancti relique moris osiores, contentiores & cavillatores improbissimi. Quis enim mirabitur summam in omnem vitam ab eis impietatem propagari, quorum instituta doctrinæ, non solum JESU CHRISTI & Apostolorum præceptis, sed rectæ etiam rationi & paganorum placitis

placitis contraria sunt? Vid. Ejus Consultat. de Litter. studiis p. 131. Non regulis tantum generalioribus, sed specialioribus etiam accommodanda esse studia literarum, si utilia erunt futura, idem Vir eruditissimus in sequentibus passim inculcat. Inter alia hæc verba adprime digna judico, quæ & adponantur & expendantur: *Vitiosa vel iners saltem & bonæ frugis experta est eruditio, quam institutio gignit confusa, & neque discentium ætati, nec habitui animorum, nec ingenio, nec intentioni, nec ipsarum artium indoli satis accommodata. Talis est, quæ scientiæ ab humano ingenio profectæ docentur promiscue atque iis etiam inculcantur, qui nondum diviniotibus institutis & veræ sapientiæ rudimentis imbuti sunt, & satis præparati, ut cum percipienda eruditione bonam mentem possint retinere: vel quibus nondum considerata & provisæ est vivendi viâ, nec constat, talibus ne doctrinis, quibus excolluntur, usus olim futurus sit & in suo vitæ genere locus? An non a iis artibus aptior sit ætas & indoles.* Vid. p. 206. 207.

(b) Inter alia institutionis vitia non levissimum, quod vulgus Magistrorum tironibus majori cura Theoretica, quam Practica inculcare soleat, qua de re SORELLUM audiamus ita momentem: *Une des sources du mal est, qu'encore que l'on ait la volonté bonne l'on n'est pas instruit comme il faudroit. Le tiers de la vie se passe dans les écoles pour n'y apprendre, que deux ou trois langages qui n'ont plus de cours, avec quelques antiquités inutiles. L'on y donne assez les distinctions des vertus & des vices, de la justice & de l'injustice, mais jamais l'on ne montre à pratiquer ce qui doit être fait, & encore ce qui est enseigné est si plein de contrariétés & d'incertitude, que l'on ne sait ce que l'on en doit faire.* La Science Universelle Tom. I. p. 22. Conf. p. 47. seqq.

(c) Quam difficile sit mediam viam hæc in re certo invenire, constat inter omnes, qui usum rerum subactum ingenium ad judicandum adferunt. Horum in numerum merito referimus Celeberr. MORHOFIUM, qui, quamvis laudis cupidine accendi debere agnoscat animum puerilem, statim tamen subjungit: *Sed oritur hinc quædam primum ambitio, quæ extinguenda non est, nisi a cursu ipso revocare properantes velimus. Sed successit hinc contemptus aliorum, quos infra se positos vident, & vana quædam persuasio, qua se plus præstare posse, quam per ætatem licet, existimant.* Polyhistor. Litterar. l. II. Cap. X. n. 4. Conf. VOCKERODT l. c. p. 344.

(d) Quantum mali innoxie juventæ ex vitiis Magistrorum metuendum sit, efficacissimis zeloque plenissimis VOCKERODTII verbis ostendere liceat. At bonis, scribit, mentibus & sanctius educatis infaustum ac pestilens fidus præceptor malus: *sensim enim suis eos moribus imbut.* Quos deprehendit in altitudinem conditos & mentem magnis applicantes, fictis laudibus primum aggreditur, devincta sibi deinceps & obnoxia pectora corruptis judiciis, fastu, cæca ambitione votisque præposteris & captu suo majoribus implet, misere perdit & sui similes efficere laborat. l. c. p. 327.

(e) Quosdam, inquit NAUDÆUS, videre est sic penitus imbutos ejus doctrinæ documentis, quam primum in Schola, licet casu susceperunt, ut ipsos deinde

deinde neque ratio ab errore, nec libertatis amor a servitudinis turpitudine, nec constantia veritatis ab obstinatione pertinaciaque revocare possint. - - - Ut quam quisque sibi Philosophiæ alteriusve professionis sectam deligit, quamvis ea sit plerumque inepta, aut a veritate aliena, totus tamen mente & animo ad hanc adhaereat, indignius reputans servire corpore, quam animo. l. c. p. 123. 124. His parallela sunt quæ scribit supra laudatus Comes OXENSTJERNA. *L'ignorance & l'opiniâtreté se tiennent par la main, & le sot croit toujours, qu'il y va de son honneur a soutenir sa fausse opinion.* loc. cit. pag. 135.

(f) Quantis iris hujusmodi homines exardescere soleant, exemplo constat pugnae inter nominalium & realium, uti dicebantur, sectas olim ortæ, de qua Cel. BRUCKERUS testatur, quod in duas factiones Academiæ dividendo infestis signis concurrerent, contentiosas disputationibus ad ravim clamarent & non lingua modo, sed sulsibus, calcibus, ferro se peterent, & nunquam occiderent. *Hist. Philof.* p. 530. Sic utraque secta se nimis realem exhibuit; sæpius tamen satis habent fervorem ostendere nominalem verbis quam verberibus vehementiorem, de quo Cel. WERENFELSIUS: *Jamque ad convicia itur & quidquid Satyræ habent acerbi, quidquid atrocis Pöetarum diræ, quacumque in comediis in servos, parasitos, meretrices, lenones jaciuntur maledicta, audiuntur. Omnia præcorum hæreticorum nomina ex orco cientur. Tu Sadduceus es: at tu Phariseus. Tu Pelagianus: at tu Manichæus. Tu Sabellianus: at tu Photinianus. Tu Nestorianus: at tu Euty-chianus. Tandem etjam rixantium muliercularum ritu ea, quæ prorsus ad rem non faciunt, aii aliis exprobrant. Agitur de dogmatibus, & aii aliorum insectantur mores. Agitur de doctrina, & alter alteri natales objicit obscuros. Agitur de questione critica, & alter alteri vervecum patriam exallumque æra occidit. Agitur de methodo Philosophandi, & alter alteri ogganit spurios. Agitur de problemate Theologico, & alter alteri probro dat verberatam mulierem ejusque abortum.* *Dissert. de Logomachiis Eruditor.* p. 81.

§. X.

Varia exhibet indicia, ex quibus rerum, quæ discuntur, utilitas aut inutilitas adhuc specialius dignosci possit & æstimari.

Quoniam igitur vulgus doctorum canonem illum generalem, cujus modo mentionem fecimus, tam perverse solent adplicare, operæ nos pretium judicavimus alia atque alia investigare *criteria*, quibus vera scientiæ humanæ tum *realitas* tum *utilitas* adhuc *specialius* cognosci & dijudicari queat. Hujusmodi criteriorum ingentem farraginem ex *caussis*, *effectibus*, *obje-*

objectis, subjectis, adjunctis, aliisque cognitionis circumstantiis eruere possemus, nisi paucis nos contentos esse iuberet festinatio. Quod si igitur ad causas cognitionis attendere velimus, *utilior* est, quæ vel ex *perceptionibus* oritur *sensualibus*, vel ex *proximis* saltem *confectariis*, quæ ex illis deducit ratio, quam quæ *prolixis* demum *ratiociniis* multas & varias habentibus *ambages* originem debet (a) Quamvis enim hoc non sentiant omnes, res tamen æque facilem ac simplicem habet demonstrationem. Nisi enim *utilius* fuisset ipsam quasi *substantiam* veri & boni, quod *rebus* inest, *sentiendo* percipere, quam frigidam utriusque *umbram* *desinendo*, *dividendo*, *abstrahendo* & *ratiocinando* menti pingere, nunquam Divina fecisset sapientia, ut & *communior* & *commodior* esset *intuitiva*, quam *discursiva* veritatis *cognitio*. Nec aliud statuere possumus, si diversum consideremus *effectum*, quem utrumque cognitionis genus producit. Nam cum ratiocinando tantum *lucentem*; sentiendo etiam *ardentem* adquirimus *cognitionem*. Et quidquid *utilitatis* habent veritates, quas via *ratiocinationis* deegimus, id tum demum exserunt, cum, ipsis adhibitis eloquentiæ artificiis, imaginandi facultati, quæ vice sensus fungitur, tam amœnæ & vividæ pinguntur, ut *sensitivam evidentiam* æmulari videantur. Est aliquid, fateor, charæ sponæ simillimam intueri *imagunculam*, sed ipsam illius *personam* præsentem ac spirantem amplecti, ipsiusque non modo faciem *videre* & vocem *audire*, sed naturalem quoque calorem lacertis *sentire*, plus erit, nisi mente captus fueris. Quamvis vero hoc unice dici posse videatur de genere veritatis, quod *practicum* vocant, idem tamen locum quodammodo habet, ubi illas ipsas tractamus veritates, quæ quam maxime sunt *Theoreticæ*. Atque hæc est ratio, cur maximi nominis Mathematici impense optent, ut, qui Geometriam novis inventis ditare velint, id potius *figuris*, quam *calculis* præstare conentur. Quid! quod ipse DEVS Optimus Maximus, cum maxima sua mysteria nobis patefacere decrevisset, nullis *argutationum præstigiis* usus est, sed salutare has veritates vel *idoneis picturis*, vel *simplici* ac *populari*

pulari sermonis genere, sine ulla demonstrationum pompa, repræsentavit, modum, quo fieri debuerint aut potuerint miracula, quæ narrat, alto involvens silentio, ut res ipsæ utilius, quam subtilius, & fructuosius, quam curiosius cognoscerentur. (b) Quod vero ad objecta scientiæ nostræ adinet, tanto hæc est utilior, quanto illa fuerint nobiliora. Sic utilior est eruditus, qui DEI atque sui vera & vivida gaudet cognitione, quam qui exacto calculo determinare didicit, quot aquæ guttulis Oceanus & quot arenæ granulis tota terra constet. Si utilitatem cognitionis ulterius subjectis metiri velimus, major erit eorum, qui animo virtute prædito gaudent, quam eorum, qui vitiorum infelicia sunt mancipia, præsertim si ad discendum tantundem & ingenii & studii adtulerunt.

(a) Quemadmodum in systemate mundano quilibet planeta tanto minus & caloris & lucis habet, quanto longius a sole remotus est, ita quilibet particula scientiæ tanto minus evidentia & efficacia habet, quanto longiori intervallo distet a primis veri & boni perceptionibus, quæ originem debent sensibus: quo tamen nomine non eos tantum intelligo sensus, quos exteriores vocant, sed eos potissimum, qui interni audiunt, & illud nominatum mentis lumen, ejus beneficio veritates quasvis radicales in omni genere scientiæ sentimus, atque ita sentimus, ut iis repugnare nequeamus, nisi & stupidissimi & stolidissimi videri velimus. V. G. DEUM bonum & justum esse veritas est radicalis. Hinc immediata fuit consequentia, nihil ab ipso proficisci, nisi quod bonum & justum sit. His qui inhæret veritatibus & certo & tuto incedit, qui vero ad eum modum ratiocinatur, quo ratiocinabatur *Seductor* in paradiso, dubia ex dubiis de his veritatibus fundamentalibus nectens, is tandem lucem rationis, & aut in brutam degenerat bestiam, titillationibus sensuum externorum omnia deserens, aut mali genii stultitiam & audaciam æmulatur, divinam naturam pervertere satagens. Utramque fortunam experti sunt multi, qui fundamentum certitudinis, in veritatibus simplicissimis situm, deseruerunt.

(b) Quod de Scriptura Sacra ejusque Mysteriis alicubi dixit AUGUSTINUS, ubi eam alto ac prono comparat fluvio, in quo & agnus ambulet & Elephantus natet, id de omnibus mysteriis eatenus dici potest, quatenus tutiores sunt, qui ea adspicientes admirantur, quam qui admirari recusantes scrutari incipiunt, penitusque perspiciere volunt. Recteque de BODINO judicat NAUDÆUS, cum eum, velut Phœnicem unicum sui sæculi, se ipsum consumpsisse scribit, in contemplatione altioris illius sapientiæ, cujus secreta revereri potius & admirari debuisset, quam ipsa in medium & examen velut reliqua omnia vocare. GROTII & aliorum Dissert. de studiis instituend. p. 23.

Nature divina, ut hoc exemplo rem illustrem, tam clara & certa cognitione nos imbuat & ratio & revelatio, ut ex iis fontibus, quantum satis est ad nostram salutem, haurire possimus, ubi vero ultra sapere pergitur, locum invenit id, quod supra laudatus DES COUSTURES recte observavit, ubi scripsit: *Dès l' instant que l' homme s' embarasse dans la recherche de la Nature divine, & que la foiblesse de la raison le veut conduire à la connoissance de cette verité; c' est un état dangereux pour lui, il ne marche plus, que dans les ténèbres & tous ses mouvemens sont proportionnés à cette peur.* La Morale d' EPICURE p. 176. Bene igitur EUREMONDUS: *Dieu nous donne, inquit, assez de lumieres pour bien agir, nous en voulons pour scavoir trop, & au lieu de nous en tenir à ce, qu' il nous decouvre, nous voulons penetrer dans ce, qu' il nous cache;* T. III. Opp. tit. *Pensées sur la Religion* p. 97. Effectum hujus curiositatis recte descripsit GREGORIUS M. L. XVI. *Moral. C. XXVII.* Qui dicit: *Omne quod ratione perscrutari non possumus, credere continentur & per inquisitionem nimiam in errorem labuntur.* Has observationes claudimus judicio Cel. JOSEPHI SCALIGERI:

*Qui curiosus postulat totum sue
Patere menti, ferre qui non sufficit
Mediocritatis conscientiam sue,
Judex iniquus, aestimator est malus
Sui naturæque; nam rerum parens
Libanda tantum quæ venit in mortalibus
Nos scire pauca, multa mirari jubet
Nam qui fateri nil potest incognitum,
Falso necesse est placet ignorantiam,
Umbrasque inanes captet inter nubila
Imaginosa adulter Ixion DEÆ.
Magis quiescet, minus errabit animus
Contentus eruditione parabili.
Nec quæret illam, si qua quærentem fugit.
Nescire quædam magna pars sapientiæ.*

§. XI.

Idem ulterius persequitur argumentum, ea utilioris cognitionis criteria, quæ ex adjunctis hauriri debent, breviter expendens.

Quæ hactenus ex causis, effectis, objectis & subjctis de-

summus *utilioris* cognitionis *criteria*, ea adhuc prolixius persequi possemus, nisi id prohiberet festinatio, ut ea etiam, quæ ex *adjunctis* hauriri possunt, paucis attingamus. Hæc adeo & multa & varia sunt, ut si singula accuratius excurrerentur, integrum postulerent tractatum. Paucis igitur contenti erimus. Primum quidem *criterium utilitatis*, quod hoc ex fonte profluit, est *veritas*. Hinc talis nascitur canon: *Quo verior, eo utilior est omnis, quæ ab homine comparari potest cognitio (a)*. Hæc adeo & clara & certa est assertio, ut merito instar axiomatis haberi possit. Quoniam vero id, quod utile vocamus, non *absolutam*, sed *relativam* animo nostro notionem ingenerat, semperque ad certum effectum certum involvit respectum, non alienum fuerit alios atque alios *utilitatis gradus*, quos cognitio hoc intuitu admittit, uno alteroque verbo tetigisse. Quamdiu vera cognitio nihil aliud, quam cogitationes rebus convenientes involvit, tamdiu vix quidquam utilitatis habet, quæ ei adjuncta est veritas. Simul vero ac ad certum aliquem *effectum* refertur, mox major aut minor adparet ipsius *utilitas*, prout ille ipse cognitionis effectus aut *nobilior & insignior*, aut *ignobilior & obscurior* fuerit. Si in nuda *veritatis theoria* subsistens, nihil præter solum *voluptatis sensum* ex ea quæris (*b*), inutiliorem possides cognitionem, quam si eam isti adplicas fini, ut partim *intellectus* ad verum videndum *acutior*, partim *animus* ad bonum agendum *promptior* evadat (*c*). Deinde si ideo tantum ad *verum* eruendum incumbis, ut habeas, quo tuum vel ingenii lumen vel judicii acumen aliis ostentes, eo & ignobilior & inutilior est tua, quantumvis vera, rerum cognitio, quo diutius & longius ab optima & maxima viri docti virtute, quæ in vera animi *modestia* consistit, recedis. Quid? quod cognitio in se verissima & certissima non tantum *ignobilis & inutilis*, sed etiam *periculosa & perniciofa* evadat, si eam ad factum eruditum aut alendum aut augendum adhibueris (*d*). Præterea cum quotidiana experientia haud obscure doceat, viros doctos eo facilius vano scientiæ fumo intumescere, quo subtilius eruditionis genus sibi videantur excoluisse, novam inde regulam desu-

desumere licet, eo *utiliorem* esse cognitionem, quam quisque possidet, quo propius ea ad *naturalem* accesserit *simplicitatem* (e) & quo remotior fuerit a tumidis istis meteoris, quæ ventosa quaedam cerebella *subtilius*, quam *solidius* philosophando, evibrare solent. Quamdiu evidentia & perspicua veritatis litora, quæ *notiones* exhibent *communes*, sedulo legis, tamdiu veram & tutam colligis cognitionem; simul vero ac, his relictis curtam ingenioli scapham vasto *mysteriorum* pelago committis, justo *sublimiores* expiscaturus veritates, mox periculum est, ne *nimum intelligendo efficias, ut nihil intelligas*. Quocirca recte factum est a Latinis, cum solidiorem rerum cognitionem dixerunt sapientiam, quippe quæ non tam *argutando*, quam *gustando* acquiritur. Quo igitur simplicius philosophamur, eo solidiorem invenimus cognitionem, & eo quoque rectius & certius flori Reipublicæ Litterariæ consulimus.

(a) Hoc instar axiomatis esse debet omnibus, qui solide volunt philosophari. In finitis enim labyrinthis se involvunt, quotquot matrem sapientiæ veritatem deserunt.

(b) Non minus vere, quam facete NAUDÆUS: *Rejctis vanis speculationibus, & quidquid inane ac sterile est, illud tantum conservetur, quod est solidum & utile, ut hoc pacto Philosophia non sit apud nos instar cujusdam scorti, quo ad voluptatis illecebras abutimur; aut tanquam ancilla turpibus officiis mancipata, sed potius sociæ ac fidelis sponsæ locum sibi vendicat, ad generationem fructuum, & solatium vitæ tranquillioris ac beatæ. Vide GROTII aliorumque Dissert. de studiis instituendis p. 112. Eos vero, qui solius voluptatis causa ad studia litterarum incumbunt, acute perstringit Cel. BELLEGARDIUS, dum sic scribit: Ce n'est pas pour goûter la vérité & pour en faire l'usage, qu'on en doit faire, qu'ils souhaitent si ardemment de la connoître, mais bien plutôt pour contenter leur curiosité, c'est à dire, pour suivre les mouvemens d'une passion aigre & impatiente, qui n'envisage point la beauté & l'utilité, & qui n'a point d'autre but, que de se satisfaire. L'art de connoître les hommes p. 94. Utinam vero plures essent, qui sobrio, quam ebrio, ut ita dicam, amore complecterentur bonas litteras! Sic enim & ipsæ utiliores & nos sapientiores evaderemus.*

(c) Facere non possum, quin hic adponam aurea FOCANI verba, quibus sic de usu litterarum judicat: *Odi hominem, inquit SENECA, ignava opera, Philosophum sententia. Ille vero Philosophus dici meretur, qui virtutem*

actione ostendit. Frustra sapit, qui sibi ipsi non sapit. Ad quid scientia, sine conscientia? Quorsum verba & doctrina sine opera? Qui dicunt, nec faciunt, abest ab iis fides, inquit LACTANTIUS & ipsi præceptis & verbis suis detrahunt pondus. -- Et, paucis interjectis, maledicta sit omnis scientia & Philosophia, quæ desinituta est praxi & actione! Nec ille sapiens est, qui multa scit & didicit, sed qui utilia scit & facit. Ο χρησιμῶν εἰδώς ἢ ὁ πρᾶξ' εἰδώς σφίς, inquit ÆSCHYLUS. Tantum scit homo, quantum operatur, inquit acutissimus Philosophus MIRANDULA; nam oportet Philosophiam in actionem deducere. Illa demum, meo iudicio, vera Philosophia est, quæ hominem tollit supra hominem, atque illum non solum doctiorem sed & meliorem reddit. GROTII aliorumque Dissert. p. 216. Vide item præterea MORHOFII Orat. p. 128. & quæ supra §. VIII. hac de re ipsi diximus.

(d) Perversum hunc animi statum bene describit modo laudatus BELLEGARDIUS: Une disposition vaine est commune à la plupart des sçavans, par laquelle ils se condamnent au travail d'une longue étude, & s'instruisent non seulement des vérités curieuses, mais des plus hautes vérités, dans la seule vûe de faire montre de leur science. L. c. p. 96. Hinc bene monet Doctiss. FOCANUS: Cave tibi a philautia atque animi elatione, aut præsumptione; nam οἴησις ἐγκοπὴ πρῶτα, persuasio profectus ejus interruptio & impedimentum est. Multi ad sapientiam pervenire potuissent, inquit SENECA, nisi se jam pervenisse putassent. L. c. p. 250. Cui monito ut pondus addamus, adduxisse juvabit verba Cel. MORHOFII, quibus mala philautiæ quam vividissime depingit. Nulla est, inquit ille, tetrior ingenti pestis, quam si philautia vitiosa inficiatur. Illa in omnes vertigines & scopulos abripit, ac ipsum exitium fruet. Etsi enim honesta sui fiducia non improbanda est, neque sine illa quicquam præclari suscipi potest; tamen esse in illa modus debet, & ne infinite vagetur, coercenda est. Eo nonnullorum excrescit, & fiducia nimia ambitio, ut sinistro aliorum iudicio in extremam incident insaniam, Quod BARLÆO accidit, qui ob prælatum sibi SPANHEMIUM in maniam incidit, seque ipsum in puteo suffocavit. Polyhist. T. I. p. 153.

(e) Aurea plane & ad hanc rem adposita sunt, quæ scribit Cel. VASSETZ: J' aime donc infiniment mieux une connoissance simple, qui ne fait envisager les choses telles qu'elles sont, qu'une science embarrassée; sçavent par la nature je deviens ignorant par l'étude, & toute mon application ne sert, qu'à effacer de mon esprit des idées claires & distinctes, pour en substituer d'obscurés & des confusés. Traité de Merite p. 180.

§. XII.

Male tamen flori Reipublicæ Litterariæ consuli docet, si quis eo progrediatur temeritatis, ut, neglecto meditandi studio, omnem solide scientiæ laudem ex solo sensu aut gustu astimandam scisceret.

Quamquam autem sanus doctorum gustus ad colenda litterarum studia insignem utilitatem adferat, eoque nomine in primis commendari debeat, tantum tamen abest, ut omnem solidam eruditionem ex solo sensuum fundo eruendam statuamus, ut potius mancas fore scientias existimemus, nisi ad primarium hoc instrumentum & sedula meditatio & sobria etiam abstractio accesserit (a). Hoc eo minus in dubium vocari potest, quo certius constat, ne minimum quidem instrumentum, quo rusticus in agro colendo utitur, sine aliqua saltem abstractione atque meditatione confici potuisse. Quid! quod nulla sit lingua, ne in populis quidem barbaris, quæ non crebra abstractionis vestigia ostendat. Hic igitur locum tenet tritum illud: *Usus habet laudem, crimen abusus habet.* Deinde dum ad colenda litterarum studia sanum requirimus gustum, non solum illum intelligimus sensum, quo veritatem notionum communium intuemur, sed immediata quoque consuetudine, quæ ratio humana, nullo argumentandi artificio adhuc sublevata, exinde legitima deducit consequentia. Quid? quod ne illas quidem ipsas contemnamus veritates, quæ longius a fonte distant, modo ipsa ratio deducendi & derivandi ad naturalem colligendi simplicitatem accesserit, nec subtiliora adhibeantur artificia, quam ut ubique nexus clare adpareat. Nisi enim hanc adhiberemus exceptionem, necesse esset totum fere chorum disciplinarum Theoreticarum, in maximum Reipublicæ Litterariæ detrimentum, ad Garamantas ablegare. Interim tamen in singulis ineptam argutandi luxuriam regnare, certum est. (b) Nec quidquam sanum gustum tam vehementer offendit, quam illas ipsas propositiones sexcentis syllogismis demonstratas, an obfuscatas dicam? videre, quarum veritas per

per se tam claris splendet radiis, ut illis solis obscuræ esse possint, qui *naturalem sentiendi facultatem* exuerunt, ut *artificialem inertiendi sagacitatem* induerent. Non tanti est admiratio artificii, quam artifex imperitis rei arbitris movet, ut ideo clarissimis & certissimis tenebras offundere debeat veritatibus. Ferri utcunque potest hæc ingeniorum intemperantia, quamdiu ea intra cancellos *Disciplinarum Theoreticarum* se continet, quamvis & illis superflua præstet officia; at cum *præcticas* aggreditur, iisque, nolint velint, importuna sua ministeria offert, minis & plagis arcenda videtur. *Insanum* demonstrandi *pruritus* loquor, qui ubi *notionibus* etiam *communibus* id lucis, quod antea non viderunt, accendere satagit, hoc efficit, ut earum partim *evidentia* minuatur, partim *efficacia* enervetur. Nam quæ, *nudo* mentis oculo inspectæ, veritates, tanquam totidem *soles* fulgebant, eæ, ineptis his *vitris* interceptæ, vix stellarum tertiæ aut quartæ magnitudinis claritatem æmulantur. Et, quæ simpliciter propositæ cunctis, etiam invitis assensum extorquebant, eæ demonstratæ satis habent, si apud bonos & sanos fidem inveniant. Ego certe plus & *evidentiæ cerno*, & *efficaciæ sentio*, cum veritates istæ palpabiles *nudo & plano* proponuntur sermone, quam cum sexcentis confirmantur argumentis.

(a) Hic mihi in mentem venit, quod Cel. MORHOFIUS in orationibus suis passim scribit, utpote p. 122. ubi de *contemplationis studiis* id in *universum* tenendum judicat, nihil illis esse *divinius* & ad *perficiendam mentem* & sibi ipsi quasi *reddendam præsentius remedium*. Et p. 133 de *scientiis contemplationis* dicit: *Eæ hoc telo primo petuntur quasi scilicet animum enervent, a rebus gerendis abducant & inani otio, velut tabe quadam consumant. O stuporem, O inscitam! nam ut de voluptate tam sancta, tam jucunda, ac propemodum divina, quæ ea studia comitatur, nihil omnino dicam, non enim saturant istæ delitiæ tam bruta pectora, & sunt suæ Arcadibus glandes & asinis cardui relinquendi: Fructus eorum studiorum in Rempublicam redundant uberrimi, si tractentur ab ingeniis, non proletariis & mercenariis, sed illustribus, sed regiis & ad tam sublimia negotia ab ipsa natura factis, & cura solerti exquisitis. Ab hoc fonte, si nescitis, o miseri! fluunt salutaria illa inventa humanæ necessitatis subsidia, quorum in pacis bellique temporibus usus se exserit longe maximus, ut barbari, imo ad societatem colendam sine earum præsidio inepti existeremus. Cum in pulvere suo speculatur ARCHIMEDES,*

MEDES, ipse quidem otiosus apparet, sed quam salutaria illa patria otia sunt, quam periculosa hosti, ipse eventus testatur. - - An credat quis, eos, qui acie mentis dispicere tam remota à sensibus possunt, quotidiana illa & ante pedes posita non comprehendere, si oculos animumque in illa convertere dignentur. Hæc ille. Et quamvis studiis Theoreticis hic plus justo tribuisse videtur, eatenus tamen vera dixit, quatenus misera est praxis, cui solida theoria fundamenta non substravit.

(b) *NICOLAUS BEROALDUS, apud FOCANUM, diserte dicit, Illos, qui sophisticis istis nugis & frivolis argutiis dediti sunt, non rebus ipsis, sed rerum umbris, falsisque imaginibus inhæreret; & longe falli totaque via errare. Non enim, inquit, studiosorum ingenia exacuunt captivæ istæ, & trice spinosæ, ut plerisque persuasum est, sed mentis succum omnem exhauriunt, adeoque à pietatis studio multos abducunt. l. c. p. 221. Utinam vero hæc monita audire vellent & in animum admittere omnes, qui se bonarum litterarum studiosos, videri volunt & tandem aliquando fieret, ut Respublica Litterarum ex voto sapientum non modo floreret, sed largos etiam fructus ferret.*

THESES PHYSICÆ.

THESIS I.

Incrementis Philosophiæ Naturalis male consulunt, qui, vestigiis CARTESII insistentes, ea ex priori deducere fatigunt, quæ non nisi ex posteriori inveniri possunt, vagisque adeo hypothesebus omnia implent; pejus vero, qui ad has stabiliendas ipsa etiam experimenta detorquent.

THESIS. II.

Sed sedulo etiam vitandum est alterum extremum, ad quod delabuntur illi, qui observationibus & experimentis omnia tribuunt, verum rationis usum deserentes; perinde ac si non tam philosophica, quam historica naturæ cognitio omnem utilitatis laudem tueretur.

THESIS. III.

Mediam igitur viam, ob eamque causam optimam, ingressus est. Cel. ROHAULTIUS, qui, rationis & experientiæ

connubio conciliato, fundamenti loco ponebat experimenta, ex iisque, tamquam per scalam, ad prima rerum naturalium principia ascendere conabatur.

THESIS. IV.

Quamvis laude sua defraudandi non sint summi illi Mathematici, qui, in tollenda radiorum aberratione, & a diversa eorum refrangibilitate, & a figura lentium sphaerica dependente, multum operæ posuerunt; emendatio Tuborum Dioptricum hinc tamen omnimode perfecta censenda non est. Et si enim pluribus lentibus aberratio minuatur, debilitatio tamen luminis hoc ipso augetur.

THESIS. V.

Negari non potest, quoniam principium illud actionis minimæ, ut vocatur, ab Illustr. MAUPERTUISIO ingeniosissime excogitatum sit, sed quo minus hætenus veri principii nomen tueri potuerit, obstitit, quod ejus nondum a posteriori evicta est universalitas. Quod vero a priori, seu rationibus Metaphysicis demonstratur, id, nostro quidem iudicio, perquam incommode ad Physicam adplicatur.

THESIS. VI.

Nullam esse constantem legem refractionis radiorum simplicium, Cel. Dollondi experimenta evincunt.

THESIS. VII.

Vix ac ne vix quidem concipi potest, quomodo corpora in distantia corpora agere possint, nisi mediante aliqua materia.

THESIS. VIII.

Densitates Planetarum, quas Illustr. NEWTONUS, per principia gravitatis universalis, primus investigare docuit, exacte determinatum iri, nemo dabit, qui Planetas, ceu corpora non homogenea, consideraverit.

THESIS. IX.

Frustra limites aëris Tellurem ambientis intra aliquot milliarium distantiam a Tellure poni existimamus.

